

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De lapsis semel tantum in adulterium presbyteris & diaconis, si nunquam duxerant vxores; & de eisdem lapsis viduis, & lapsis habentibus vxorem superstitem. item de reuersis ad idem peccatum tum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO CHRISTI  
325. De lapsis semel tantum in adulterium presbyteris & diaconis, si nunquam duxerant uxores; & de eisdem lapsis viduis, & lapsis habentibus uxorem superfitem. item de reuersis ad idem peccatum tum viduis tum habentibus adhuc viuas uxores; & qui ex his non recipiendi ad pœnitentiam, & qui semel tantum, & qui bis.

C A P V T LXXVIII.

Si quis sacerdos lapsus fuerit in adulterium, & hoc peccatum nunquam antea commiserit, quin potius semper bene audierit, & non duxerat vxorem, sed erat virgo; pœnitentia eius erit in iejunio & oratione, & de eleemosynis secundum vires vno anno; quo exacto debet redire ad communionem fidelium, & communionem sacram, & ad ministerium & sacrificium, vt prius, & deinceps attendere diligenter, & cauere sibi per vniuersum vitæ tēpus. Si vero ad idem peccatum reuersus fuerit, depoñendus est omnino, & non est prohibendus communione fidelium, & sacra communione. Quod si vxorem duxit, imponenda est ei duplex pœnitētia. idem seruandum est in diacono; qui si ad idem scandalum redierit, omnino deponendus est. quod quidem intelligendum est, si fuerit viduus: nam si vxorem duxit, & adhuc viuit, & cum eo habitat, debet remanere in pœnitentia, & tribus annis excommunicatus. denique in his omnibus episcopus cum primum in hoc peccatum lapsus fuerit, debet ex gradu suo cadere, cui non est pœnitentia imponenda, neque communione fidelium, neque communione sacra prohibendus. Sacerdos ἀγαμός, id est, qui nunquam vxorem habuit, vel viduus, recipiendus est ad pœnitentiam; qui vxorem habet, non est recipiendus. Diaconus ἀγαμός, id est, qui

Concil. Tom. 2.

Pp ij

nunquam habuit vxorem, vel viduus, bis est ad pœnitentiam recipiendus; diaconus coniugatus semel: & non erunt prohibiti communione fidelium, & communione sacra, sed ministerio altaris. Alii vero ex clero, & monachi, & laici, si huiusmodi peccatum commiserint, fiet iudicium de eis, ut eorum iudici, & ei qui eis præst, prout pœnitentia conuenit, visum fuerit: & non debet qui eis præst, & iudex imponere grauem pœnitentiam quæ noceat, neque leuem, ne currant ad peccatum, & eorum damnatio crescat. & qui non paruerit, Synodus eum excommunicat.

*De remedio cuicunque fidelium, dum adhuc peccatum eius non est manifestum, per priuatam exhortationem & admonitionem adhibendo, & de excommunicando, si non profecerit.*

### CAPVT LXXIX.

Et quicumque ex ecclesia aliquid indignum faciat, adhibebitur ei remedium per exhortationem & diligentem admonitionem, dum non est manifestum quod facit, ut non perseveret in eo, & discedat a via sanctorum Dei, eorumque conuersatione, imponentque ei pœnitentiam prout conueniet. Quod si pœnitentia & exhortatione non emendetur, separetur a communione fidelium, & abscondatur tamquam membrum putre, ne contagio eius reliquum corpus peruidat. & qui non paruerit, Synodus eum excommunicat.

Interpres est hic Canon quando quis frater in me peccare dicendus est, scilicet quando peccatum commisit, cuius contagio in reliquum corpus peruidere potest, nisi pœnitentia corrigatur: aut si nolit corrigi, ex ecclesia ciuicendus fit.